



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tangatur, donec morbis & ærumnis, veluti verberibus adacta & vexata, ad se, & ad memoriam honesti redeat. Pacuvius Syriæ præfectus hoc in more habuit, ut quotidie à cœnâ, vino somnôque sepultus se in lectum inferri à famulis juberet, atque à stentibus acclamari: *Vixit! Vixit!* En cadaver collo tenus. Caussin Symbol. lib. 4. c. 54. Verè Plautus, & ex eo Plutarchus, *Voluptas esca malorum est.* Ut hamo pisces, sic voluptate inescantur & capiuntur homines, & ad omne vitiorum genus pertrahuntur. Socrates apud Platonem in Phædone ait: Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori conjungit & affigit, efficitque, ut honestatis oblivione capiatur. Recte Maro 9. Æneid.

----- sua cuique deus fit dira cupido.

Et alius:

Heu quàm dulce malum mortalibus additum
Mellis dulcis amor!

Verè Seneca: Voluptas non hominis, sed pecoris bonum est. Ulyssis focii unius arbusculæ illecebris capti, tot maribus emensis, tot periculis exantlatis, desideratissimam patriam barbaræ regioni posthabuerunt. Nimirum animus in pastum projectus, deposito honesti, cœlique desiderio, nihil nisi terram sapit, atque cogitat. Veteri verbo: *obesus venter non gignit sensum tenuem.*

SYMBOLVM LXVII.

Vlysses cum Diomede surripit Palladium Trojanis.

Homerus Lib. Odyss. 1. Æneid. 2.

Ethicè.

1. Civitatis præsidia & ornamentum, artes mechanicæ, liberales, & bellicæ.
2. Religionis præcipua cura habenda.
3. Multitudo sapientum, salus populi.
4. Vires cum consilio jungendæ.

DE Palladio quid fuerit, non conveniunt scriptores; plerique asserunt, statuam fuisse ligneam delapsam cœlitus in templum Palladis, quod *Ilus* Rex Trojanus in urbis arce, cui nomen *Pergama*, in eiusdem honorem deæ ædificavit; erâtque in fatis, Trojam capi non posse, quamdiu statua illa in templo Minervæ servaretur. Mythologus de Pal-

D d d 3

ladio.

Iadio ex Apollodoro ita refert lib. 4. c. 1. *Ilius*, inquit, Rex, ubi Ilium (quod postea Troja vocatum) condidit, discolorum secutus bovem, Deos precatus est, ut aliquod sibi signum appareret. Atque tunc cecidit e caelo Palladium, seu Palladis simulacrum, trium cubitorum altitudine, quod sponte ambulare videbatur, dexteram hastam tenens, ac sinistram colum & fufum. Huic Ilo postea responsum fuit ab Oraculo, tamdiu civitatem Trojam incolumem futuram, quamdiu inviolatum illud Palladium in urbe permaneret, Cuius rei non ignarus Ulyfles, affumpfit sibi comitem *Dio-medem*, Regem Aetoliae, virum fortiffimum, quippe qui praeter Hectorem & Aeneam, aliosque insignes Trojanorum principes vulneratos, ipsum etiam Martem ac Venerem telo fauciarit. Cum hoc clam, de nocte surrepsit in arcem Trojanam, occisisque custodibus, signum illud sacrosanctum, & urbi fatale movit loco, & asportavit, non sine manifestis indignantis deae prodigiis. Nam repente imaginis arsere oculi, falsus per artus sudor iit, ter solo subsiliit, & parmam hastamque concussit.

Ethica.

I. (a) Palladium hoc, seu statua Minervae quid aliud significat, quam urbes tamdiu florere, & felices esse, quamdiu bonae vigent in illis artes; praecipue *Sapientiae*, quae per Minervam; & *Scientiae militaris*, quae per eiusdem aegidem & hastam denotatur. Quod si etiam colum & fufum manu tenuit, indicantur artes mechanicae & manuae, civitatibus bene institutis necessariae. Siracides ait c. 38. *Omnes hi* (scilicet agricolae, sculptores, fabri, figuli, textores, caterique opifices vestiarii) *in manibus suis speraverunt* (nempe manuum opere vitae praesidia sibi, aliisque compararunt) & *unusquisque in arte sua sapiens est*: (ingenium namque in artefactis quoque apparet & spectatur) *sine his omnibus non adificatur civitas*. Nihil enim pestilentius urbibus, quam otium, quod labore manuum profligatur. Mechanicam ipse Paulus Apostolus exercuit, in consuendis tabernaculis pellitis occupatus, *nocte & die operans, ne quem Christianorum gravaret*, ut ipse testatur 2. ad Thessal. 3. Nam juxta eundem, *qui non laborat, non manducet*. (b) Conjuncta Martis & Palladis studia in Carolo M. eminuerunt, qui gravissimorum bellorum & administrandarum provinciarum mole oneratus, id habuit antiquissimum, ut cum post relatas de hostibus victorias, templa exstruxisset, ubi Deo agerentur gratiae, scholas illico templis adjungeret, & scholis professores, praesertim sacerdotes adderet. Anton. Possevin. Biblioth. selecta lib. 1. c. 8. De

(a) *Artes mechanicae.* (b) *Litterarum & armorum conjunctio.*

De armorum & litterarum conjunctione eleganter quidam. Arma Deorum inventa sunt, & à Vulcano fabricantur; litteræ Deorum proles ex Jovis cerebro prodierunt. Arma Bellonam colunt, litteræ Palladem. Arma ad fortitudinem & audaciam animum exercent, litteræ mentem honestate & virtutis amore excolunt. Armatus ab hoste non facile vincitur, sapiens à fortuna. Armatus gladios & vulnera non timet; sapiens mortem contemnit. Armatus res in manibus gerit; sapiens in consilio. Armis dura franguntur, sapientiâ emolliuntur. Arma in corpus potestatem gerunt, sapientiâ in animum. Armis Rempublicam defendimus; doctrina servamus. Armis libertatem propugnamus? doctrina discernimus. Armis imperia distendimus; doctrinâ & Jure sub pace retinemus. Ab armis robur & vires Reipublicæ accedunt; à litteris industria, doctrina, ars donatur.

II. (c) Intelligas etiam per Palladium, virtutem Religionis, seu cultus divini, qui ne labefacteretur, aut loco moveatur, summa cura habenda, & magis pro *Aris* quam pro *Focis* excubandum. Est enim Religio fulcrum imperii, basis Reipublicæ, munimentum regnorum, fundamentum politicæ, tutela tranquillitatis publicæ, & anchora sacra; quâ motâ, turbantur omnia, & certissimo naufragio exponuntur. Trojani Palladium in arce summâ, tanquam firmissimo loco collocârunt. Ita Religio ante omnia in tuto est reponenda. Subintrârunt tamen tenebris occultatæ vulpeculæ, *Vlysses* & *Diomedes*, perque insidias interfectis custodibus, utique dormientibus, salutare signum abstulerunt. Agnoscas hæreticos, qui recti palliolo novi Evangelij, initio fraudulentis verbis, postea ostentatis armis, subeunt urbes Catholicas, & inde Palladium, hoc est, sinceram, castam, antiquam, orthodoxam religionem, ex quâ salus omnium pendet, convellunt & exterminant. Quis admisit? *Dum dormirent homines, venit inimicus homo.* Matth. 13.

III. (d) Præterea Palladiô significatur, sapientiæ præsidio feliciter Respublicas administrari atque florere. Juxta Salomonem: *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens stabilimentum populi est.* Sap. c. 6. Et Plato dicere solebat, tum demum benè cum rebus humanis actum iri, si vel Philosophi regnarent, vel reges philosopharentur. *Vatibi terra, cuius Rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Ecclesiastæ. 10. quod fecerunt Trojani, non manè tantum, sed etiam noctu, vino, somnôque sepulti. Palladium è cælo lapsum esse fingitur, ad indicandum, sapientiam creatam, ab increata ortum habere. Ecclesiasticus de ea cap. 24. *Ego quasi aquaductus exivi de paradiso.* Instar fluvii è perenni fonte per legum

(c) Religionis præcipua cura habenda. (d) Sapientes, Salus populi.

gum ac sapientium doctrinam, perque inspirationem internam in hominum mentes derivata sum.

IV. (e) Alciatus Emblem. 42. pinxit Ulysses consilio prudentissimum, & Græcorum Diomedem fortissimum, cum inscriptione: *Vnus nihil, duo plurimum possunt.* Juxta adagium: *Vnus vir, nullus vir.* Sumpta hæc imago ex Iliad. Hom. x. quo loco Diomedes exploraturus castra Trojana, Ulysses sibi adjungi petiit. Nihil valent vires consilio destitutæ; & nihil, aut perparum consilium sine viribus. Archidamus Lacedæmoniorum Rex, cum vidisset filium suum temerè contrà Athenienses pugnans: *aut vires tibi augenda sunt, dixit: aut minuenda audacia.* Et quid aliud docet *agis*, in pectore Minervæ Gorgoneo capite terribilis, quàm prudentiam sociandam armis? Hic Milo Athletes Crotoniata occurrit animo, qui tantis erat viribus, ut in Olympico certamine taurum retento anhelitu per stadium portaverit: quem ictu pugni interfecit, unòque die integrum devoravit. Is, cum quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset: nimia nervorum fiducia fretus, insertis eam manibus divellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, inclusitque & ipsum lupis lacerandam prædam objecit: Val. Max. lib. 9. c. de cupiditate vitæ. Ubi vides robur sine consilio plus nocere quàm prodesse? Si Miloni mens sana fuisset, contentus quercinam in stadio coronam reportasse, gloriam in ramis, non in trunco truncus quæsisset. Idem, cum jam senex esset, inquit Cicero in Catone, videretque athletas se exercentes, aspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixisse: *At hi quidem jam mortui sunt.* Hinc discis, quantum differant vires corporis, & vires ingenii; illæ cum annis defluunt & dilabuntur: Mens autem ratio, & consilium permanet in senibus. Rectè Cicero: Non viribus aut voluptatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur. Sed consilio, autoritate, & sententia, quibus non modò ornari, sed etiam augeri senectus solet.



SYM.

(e) *Vires cum consilio junctæ.*